



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

8 Per quid causet materia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

mali. Generatio vero differt ab omnibus dictis, sicut fieri à re facta: unde in re ipsa est separabilis ab illis: nam transacta generatione & cessante actione agentis, manet forma unita materie & constituens compositum in facto esse. Nec refert quod cessante generatione maneat loco eius conservatio, qua effectus saltem à prima causa conservatur, tum quia hoc est quasi per accidens ad propriam rationem & distinctionem generationis. Nam licet per impossibile intelligeremus rem genitam non pendere in conservari ab alia causa, sed solum in fieri à generante, manerent unio, forma, & compositum cessante generatione. Tum etiam, quia licet post generationem quæ est à causa proxima, succedat conservatio quæ est à sola causa prima, tamen, unio formæ cum materia eadem numero perseverat, sicut est etiam eadem numero forma, & compositum idem: & hoc satis est ut generatio intelligatur esse modus ex natura rei distinctus ab illis omnibus: ergo quatuor illa quæ à materia causari ostendimus, ex natura rei distincta sunt.

Questionis resolutio.

VII. Sed quamquam hæc in re sint vera, nihilominus adæquatus effectus materie in ipso composito continetur. Quod duplici modo causatur à materia, scilicet in fieri, & in facto esse: in fieri quidem quatenus materia est causa generationis: non enim causat illam nisi quatenus est via ad compositum, seu quatenus per illam pedit compositum in fieri ab ipsa materia. Unde licet generatio causetur à materia, tamen non tam causatur ut effectus, quam ut via ad effectum: & ideo licet ex natura rei distinguatur, non censetur augere numerum effectuum: quia ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantum. Sicut respectu efficientis causæ actio est quid distinctum ex natura rei à termino, ut calefactio à calore, & utrumque est ab agente: nam calefactio manet à fit à calefaciente, non tamen proprie, ut effectus, sed ut via ad effectum, & ideo non censetur ponere in numerum cum effectum. At verò in facto esse materia ex causa compositi quatenus componit illud: non componit autem illud nisi quatenus ipsi materie vnitur forma, & sustentando ipsam formam fit talis fit ut eo fundamento indigeat. Igitur in hoc effectu adæquato, qui est compositum, includitur causalitas materie respectu formæ, vel ut informantis, vel etiam ut existentis iuxta exigentiam formæ. Imo adeo sunt isti effectus coniuncti, & quasi ordinati ad componendum unum adæquatum, ut causalitas materie circa illos non videatur ex natura rei distincta, sed solum habitudine, seu præcisione aut inadæquata conceptione intellectus nostri, ratione cuius diuersis loquendi formulis hanc causalitatem explicamus. Dicimus enim formam pendere à materia ut à recipiente, vel ut à comparte: compositum verò ut à parte componente: quibus verbis explicamus aliam esse habitudinem materie ad formam, & aliam materie ad compositum: cum hoc tamen fiat ut modus causalitatis in quo hæc habitudines fundantur, in re sit idem. Quod ita esse, paulo inferius ostendemus: & consequenter etiam declarabimus, loquendo de actuali causalitate, magis distinguere inter se causalitatem materie respectu compositi in fieri, à causalitate eiusdem compositi in facto esse, quam differat causalitas respectu compositi, & formæ, sumpta utraque in fieri, vel utraque in facto esse.

Iudicium de aliis opinionibus.

VIII. Ex quo tandem facile est opiniones omnes adductas ad veritatem reuocare. Nam prima considerat adæquatum & per se primo intentum effectum materie: & ideo dixit esse ipsum compositum. Non Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

tamen negavit, aut negare potuit, vel duplicem rationem, & quasi statum eiusdem compositi, scilicet, in fieri & in facto esse: vel materiam esse utroque modo causam eius: vel esse veram causam generationis, & educationis, sicut in uniuersum mobile est causa materialis motus. Neque etiam negat illa opinio, quin materia componendo compositum, influat in suo genere in formam, saltem ut informantem. Imo dicendum videtur ordine nature, & quasi via originis: hinc proxime inchoari causalitatem materie, quia materia recipiendo actum, componit compositum. Ordine verò intentionis primario tendere in compositum, & ad illud ultimatum terminari: & ideo illud propriè designari, & nominari effectum materie. Sicut agens dicitur propriè efficere compositum, cum tamen causalitas eius proximè etiam versetur circa formam, eam educendo, & uniendo materie. Qua intelligentia supposita, solum videtur dissensio de nomine, an materia sit dicenda causare formam, necne, ut etiam fatetur Maior loco citato, significans in re non dissentire: non est tamen cur in illa locutione dubitemus, quia verbum *causandi* amplissimum est, quod non solum attribui solet ultimo termino generationis, vel compositionis, sed etiam actioni, & cuiunque rei, quæ ab alia verè pendet.

Neque aliud probant argumenta illius opinionis: nam duo priora solum probant materiam primo ac per se esse causam compositi. Ad tertium verò respondetur, idem esse dicendum de principio, quod de causa: nam materia etiam dici potest principium formæ, vel quia ex eius potentia educitur, vel quia ei vnitur. Quod autem Aristoteles ait, unum principium non esse ex alio, intelligendum est, vel quoad compositionem, quia unum non componitur ex alio: vel quoad effectum simpliciter, & primario intentam à natura: sic enim non fit principium unum ex alio, sed quod ex eis constat. Argumenta vero aliarum opinionum soluenda non sunt, nam rectè probat aliquam causalitatem materie in illa omnia non tamen excludunt, quin omnis illa causalitas in causalitate compositi includatur, & ad illam ordineatur. Solum posset quis specialiter dubitare de unione animæ rationalis, quomodo pendeat à materia, cum in se spiritualis sit, sed de hac unione quæ & qualis sit, inferius ex professo tractabitur: nunc breuiter dicitur, unione non solum ex materiali (ut ita dicam) entitate, sed ex formali ratione unionis habere talem modum essendi, ut essentialiter pendeat ab altero extremo ad quod fit unio, & in eo genere & modo quoad illud fit unio. Unde si fiat ad subiectum, pendet ab illo in genere causæ materialis, si ad formam, in genere causæ formalis, si ad substantiam, ut à puro termino: quo modo unio humanitatis, quamuis creata sit, essentialiter pendet à Verbo increata: sic igitur unio animæ rationalis, quamuis in se spiritualis sit, pendere potest à materia ut à subiecto cui forma illa vnitur.

SECTIO VIII.

Per quid causet materia.



Icut in causa efficiente creata distinguere solent principium principale agendi, & principium proximum, & conditionis necessariæ ad agendum: ita existimant aliqui hæc omnia distinguere posse, & debere in causalitate materie. Nam principalis ratio causandi materialiter (inquiunt) est ipsa essentia materie: illa enim est primum fundamentum & basis totius materialis causalitatis & sustentationis, & ex illa ut sic, essentialiter constat compositum. Principium autem proximum huius causalitatis dicunt esse potentiam materie: per eam enim proximè recipit formam: omnis enim actus proxime recipit formam: omnis enim actus proxime recipit formam.

Z 2 me re-

In exco-
nec prior ma-
teria effe-
ctus est for-
ma materie
lis, in inten-
tione solum
compositum.

IX.
Materia di-
ci potest for-
ma principii.

I.

Quærun-
dā
sententia.

me recipitur in potentia sibi proportionata: est autem illa potentia proprietates ipsius materiae datae illi a natura ad suum effectum causandum, ut sentit Comment. de substantia orbis cap. 1. & 1. Physicorum text. 70. & ibi Themist. text. 69. Quorum ratio est, quia omnis potentia fundatur in aliqua entitate, & essentia. Aliqui verò addunt hanc potentiam, per quam materia proxime causat, esse quantitatem eius, quia materia prima praecise considerata absque quantitate non est apta ut sit subiectum generationis, quia non est extensa, neque habet partes: per quantitatem autem fit apta, quia fit extensa.

II.

*Qua in materia
est causa
sui, conditio
nes aliqui
desiderant.*

Inter conditiones autem requisitas ad hanc causalitatem quidam ponunt existentiam materiae, quia ad causalitatem & compositionem realem existentia realis videtur necessaria. Alii, nec existentiam requirendam putant, quia sufficit materiae, ut causet suum esse essentiae: existentiam verò non habet ut praerequisitam, sed solum ut consequentem formam. Rursus alii requirunt ut conditionem necessariam quantitatem propter rationem superius factam: quia agens non potest agere nisi in subiectum extensum: ergo praesupponit in subiecto quantitatem saltem ut conditionem necessariam. Alii vero neque hanc conditionem necessariam existimant, quia putant quantitatem consequi formam, & ab ea omnino pendere. Quapropter nullam conditionem requirunt ad causalitatem materiae praeter entitatem & potentiam eius. Posset etiam hic referri opinio eorum qui in materia requirunt sigillationem, qua materia, quae de se indifferens est ad omnem formam, ad hanc induendum potius quam ad alias determinetur, quia causa indifferens manens indifferens, non potest definitum effectum causare, de qua opinione satis multa superius dicta sunt tractando de principio individuationis.

*Materia potentia ab ipsa indistincta ratio
est causandi ipsi.*

III.

Dicendum verò in primis est materiam primam non habere duas rationes causandi: alteram principalem, alteram proximam, sed per se ipsam & per entitatem suam, & principaliter & proximè causare effectum suum in suo genere. Haec sententia sumitur ex D. Thom. 1. Physicorum text. 79. ubi ait potentiam materiae non esse aliquid materiae additum, praeter substantiam & essentiam eius: & idem habet prima parte, quaestione quinta, articulo tertio ad tertium, & quaestione 77. articulo 1. ad secundum, & 1. contra Gent. cap. 43. & in 1. distinctione tertia, quaestione 4. articulo primo, idemque sentiunt communiter Thomista, Heruzus de unit. formar. qu. 16. Capreol. in prima distinctione 42. quaestione prima ad argumenta Aureoli cont. 4. conclus. Soncin. 8. Metaphysic. quaestione sexta, Henric. in Summa. art. 5. quaestione octava, & hoc ipsum significavit Averroes de substant. orbis, cum dixit, *Materiam substantiari per posse*. Ex hoc ergo principio probatur conclusio in hunc modum. Materia primo ac principaliter causat per essentiam suam, proximè verò & immediatè per suam potentiam: sed potentia materiae non est aliud ab eius essentia, neque realiter neque ex natura rei; ergo in materia non est aliud proxima ratio causandi à ratione principali, sed sunt omnino idem. Consequentia est evidens: & maior etiam est extra controversiam, nam, quod attinet ad priorem partem eius, nihil prius vel principalius excogitari potest in materia, quod sit prima radix & quali origo causalitatis eius, quam ipsius essentia. Quoad secundam verò partem, cum causalitas materiae sit causalitas subiecti & recipientis, etiam constat, potentiam receptivam seu capacitatem materiae esse proximam rationem causandi. Item, quia materia causat recipiendo actum,

actus autem proximè recipitur in potentia: ergo materia per potentiam suam proximè respicit actum, suumque effectum causat.

Minor verò asseritur à dictis authoribus. Et ratione probatur primo, quia materia essentialiter ordinatur ad formam, ut supra dictum est cum Aristot. 2. Physic. text. 26. sed non ordinatur nisi ut potentia receptiva: ergo materia essentialiter est huiusmodi potentia. Secundo, forma per essentiam suam est actus materiae; unde anima desinitur quod sit actus corporis physici, &c. ergo econverso materia essentialiter est potentia ad formam; habent enim inter se proportionalem correlationem, & ita sunt essentialiter instituta, ut per suas essentielles entitates immediate coniungantur: & inde est quod unam essentiam per se & essentialiter componant: componunt autem ut actus & potentia inter se unita: est ergo materia essentialiter potentia, sicut forma est essentialiter actus. Tertio ad hoc confirmandum adduci possunt omnia quibus probauimus materiam esse puram potentiam; non enim tantum dicunt Philosophi materiam habere potentiam, sed totam ipsam nihil aliud esse quam potentiam: & hoc ipsum est quod Aristoteles dixit, materiam esse primum subiectum. Augustinus etiam lib. de natura boni contra Manichaeos, c. 18. materiam ait Graece appellari *siluam*, quod operantibus apta sit, non ut aliquid ipsa faciat, sed unde aliquid fiat. Damascenus etiam in sua Physic. c. 3. ait materiam, quantum ad id quod potentia est, substantiam praeditam esse.

Vltimò declaratur in hunc modum, nam vel potentia materiae est ipsamet substantia, & essentia materiae; vel est aliquod accidens realiter ab illa distinctum, vel modus aliquis saltem ex natura rei diversus: praeter haec enim nihil aliud excogitari potest: sed non potest secundum, aut tertium dici: ergo primum verum est. Minor quoque priorem partem probatur primo, quia potentia est proportionata actui, ergo ad actum substantialem, potentia esse debet substantialis. Secundo, quia alias forma uniretur materiae mediante aliquo accidente: & ita non componeretur cum illa unum per se, quia earum unio non esset substantialis, sed accidentalis. Unde Aristoteles 8. Metaphysic. text. 15. docet materiam & formam substantiales, per se immediate uniri, ut unum per se componant. Tertio, quia si esset aliquod accidens maxime quantitas: sed hoc non: ergo. Maior patet, quia nullum est accidens materiae propinquius, quā quantitas. Minor vero probatur, quia quantitas non ordinatur per se ad recipiendam formam substantialem, sed potius est vel proprietates consequens illam, vel ad summum est dispositio praeparans subiectum ad receptionem eius. Et confirmatur, nam alias sicut albedo verbi gratia, recipitur in quantitate, ita etiam forma substantialis reciperetur in illa, & communicaret illi suum esse substantiale: & consequenter licet ablata substantia & conservata per se quantitate sine nouo miraculo permaneret illa quantitas alba, ita ablata materia, & conservata quantitate sine nouo miraculo maneret informata forma substantialis: quae omnia sunt absurda. Tandem, quodcumque sit illud accidens quod per modum potentiae interponitur inter substantiam materiae, & formam, necesse est illud recipi in materia, quia recipi debet in aliquo subiecto, & ibi non est aliud, cum talis potentia supponatur formae, & consequenter etiam composito; ergo est in materia potentia ad recipiendum in se tale accidens, cum subieciatur in materia: inquiri ergo an illa potentia materiae sit ipsamet substantia materiae, vel aliud accidens: hoc posterius dici non potest, alias procederetur in infinitum: si verò dicatur illud prius: ergo aliqua potentia receptiva materiae est ipsa substantia eius: ergo haec potius est ad actum substantialem, quam ad accidentale: vel saltem primario ad illud actum ordinatur: est ergo per se & immediatè receptiva illius.

Acy

Atque hinc facile probatur altera pars minoris, scilicet, hanc potentiam non esse modum ex natura rei distinctum à substantia materiæ. Primo quidem, quia nulla est necessitas, nec vestigium talis distinctionis. Nam talis potentia connaturalis est materiæ, & ab illa omnino inseparabilis, etiam per potentiam Dei absolutam, imo etiam per intellectum concipi non potest materia completa in essentia materiæ, quin concipiatur capax formæ: ergo illa capacitas non est modus in re distinctus à materia, sed est veluti differentia essentialis eius; nam materia essentialiter est entitas substantialis, non completa sed partialis, non per modum actus, sed per modum potentie: est ergo ipsa materia per essentiam suam & principalem, & proxima ratio recipiendi formam, & causandi materialiter.

Dico secundo: Existentia materiæ etiam est necessaria ad causalitatem materiæ, non tamen proprie ut conditio tantum, quæ sit extra rationem principii per se in genere causæ materialis, sed ut in illo intimè & formaliter inclusa. Prior pars probatur, quia materia non potest esse reale subiectum, vel actu exercere munus eius, prout est in sola potentia obiectiva vel in virtute primæ causæ: quia secundum priorem considerationem nihil est, sed solum concipitur ut non repugnans esse: secundum posteriorem vero non est aliud, quam ipsa creatrix essentia, ergo ut actu exerceat munus reale subiecti, necesse est ut in se sit actu extra causam suam, & extra potentiam obiectivam: sed hoc ipsum est existere: ergo ut materia materialiter causet, necesse est quod actu existat. Et confirmatur, nam ideo res naturales non creantur quia sunt ex materia, sed non ideo non creantur quia sunt ex materia possibili: ergo quia sunt ex materia actu existente, & consequenter ipsa materia non causat materialiter nisi quatenus actu existens. Minor probatur, nam ipsa materia dum fit à Deo, sit ex materia possibili, & nihilominus creatur, quia fieri ex materia possibili, est fieri ex nihilo: eo quod materia possibilis ut sit, nihil sit. Unde dictio ex in illa locutione non dicit habitudinem causæ materialis, sed terminum à quo. Quando ergo dicit habitudinem causæ materialis, necesse est ut designet rem quæ non tantum possibilis sit, sed etiam actu, & extra causas. Tandem materia non potest materialiter causare nisi sit creata à Deo, sed creatio terminatur ad rem existentem: ergo materia non potest materialiter causare nisi existens. Quæ rationes formaliter & immediate probant materiam non causare materialiter nisi ut sit extra causas suas tanquam actualis entitas in suo esse essentia: consequenter vero probant de esse existentie, quia omnis actualis entitas extra causas formaliter constituitur per existentiam, ut infra suo loco probabimus.

Atque hinc etiam probatur facile posterior assertionis pars: nam quod materia sit entitas actualis non est quasi extrinseca conditio necessaria ad causandum, sed est intrinseca, & propria ratio causandi: nam materia per suam entitatem actualem recipit formam: sed per existentiam constituitur in esse entitatis actualis: ergo existentia materiæ non utique est conditio necessaria, sed ut per se ac formaliter pertinet ad principium causandi. Quæ res constabit latius ex dicendis infra de existentia. Solum potest obici, quia materia pendet in sua existentia à forma: ergo non potest prius etiam ordine naturæ existere, quam formam recipiat, ergo existentia non potest illi esse necessaria ad causandum. Patet consequentia, quia conditio necessaria ad causandum supponitur ad effectum. Nec intelligi potest quod causa in suo esse necessario ad causandum pendeat à suo effectu. Respondetur exactam huius obiectionis responsum dari non posse donec explicemus causalitatem formæ erga materiam, & illam propositionem Aristotelis. Causa sunt sibi invicem causa: ideo breviter dicitur, probabile esse, materiam non dependere proprie à

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

forma ut à causa sua, quæ potest dici dependentia antecedens, sed solum, ut à connaturali actu, & quasi dispositione & conditione necessaria, quæ potest dici dependentia consequens, secundum quam non est inconueniens causam materiale pendere à suo effectu. An verò dici possit pendere etiam à priori materiam à forma, infra videbimus.

Dico tertio: Condicio necessaria ad causandum in materia est propinquitas intima, seu indistincta à forma. Itaque sicut in causa efficiente applicatio ad passum dicitur conditio necessaria ad agendum, ita in materiali causa applicatio ad formam: nam respectu illius, vel cum illa exercet causalitatem suam. Hæc autem applicatio est per intimam propinquitatem & indistantiam: quia non possunt materia & forma vni nisi sint indistantes & quasi penetratæ intimè per entitates suas. Dices hanc non esse conditionem necessariam, sed ipsammet coniunctionem materiæ & formæ. Respondetur non ita esse, quia intima præsentia aliquid distinctum est ex natura rei ab vnione: cum enim anima creatur in corpore, non vnitur corpori ex vi creationis in tali loco, sed per aliam actionem, & tamen creatur intimè indistincta à corpore. Unde etiam re ipsa est separabilis illa intima præsentia ab vnione. Sicut enim Angelus potest esse intimè præsens materiæ, & non informans illam, ita etiam potest esse anima rationalis, imò & qualibet alia forma, saltem per potentiam Dei absolutam: est ergo illa intima præsentia quid distinctum ab vnione, & conditio necessaria ad illam, & ad materiæ causalitatem. Hæc autem conditio in hominis generatione manifeste est prior natura, quia ibi supponitur forma creata absque causalitate materiæ circa illam: in alijs verò formis non tam videtur conditio prior natura, quam concomitans, quia alitè formæ absolute & simpliciter, & secundum ordinem causalitatis, non prius naturæ sunt, aut fiunt, quam vniuntur, ut postea videbimus. Intercedit autem ibi alia naturæ prioritas quæ dicitur in subsistendi consequentia: nam intima præsentia talis est, ut possit saltem per diuinam potentiam conservari sine vnione, & consequenter sine causalitate materiali: e contrario vero nullo modo potest materialis causalitas actu conservari sine intima propinquitatē, ut per se constat.

Dico quarto præter hanc conditionem nullam aliam esse simpliciter necessariam ad causalitatem materiæ, quantum est ex parte eius. Explicatur breviter, nam quod attinet ad quantitatem satis controversa res est, an illa sit in materia, vel in composito, & quomodo. Et quamvis sit probabile esse in materia & naturaliter non separari ab illa: id tamen non ideo est, quia quantitas est conditio necessaria ad causalitatem materiale formaliter loquendo, sed quia materia est talis entitas, quæ natura sua talem proprietatem postulat, ita ut quantitas potius sit proprietas consequens talem causam materiale, quam conditio antecedenter necessaria ad causalitatem eius. Unde sit ut vel forma, si materialis etiam sit, vel saltem suo modo informatio formæ, participant effectum seu modum quantitatis, non quia per se sit necessarius ille modus ad vnionem cum materia, sed quia forma sese accommodat materiæ, quatenus omne quod recipitur, ad modum recipiētis recipitur. Et simili modo materiale agens indiget extensione quantitatis in passio, ut in illud agere possit, id tamen provenit ex eo, quod ipsum agens ratione talis proprietatis consequentis materiæ, habet modum existendi & agendi illi accommodatum secundum omnes facultates, quæ à materia pendunt. Itaque (quidquid sit de illa questione, de qua modo nihil definimus) nunc solum dicimus quantitatem per se ac formaliter non esse necessariam propter causalitatem materiale. Unde si per potentiam Dei conservetur materia sine quantitate, quantum est ex parte sua poterit exercere suum munus sustentandi formam vel informationem eius.

IX.

Proximitatem cum forma ad suam causalitatem requirit materia.

X.

Quantitatem non requirit materia ut necessariam conditionem ad causandum.

XI. Rursus sigillatio materię, quę sit aliquid distinctum à quantitate & qualitatibus disponentibus materiam, prorsus est quid fictum & commentitium, ut loco supra citato monstratum est. Qualitates autem si fortasse non manent eadem in genito, & corrupto: non aliter sigillant materiam, nisi quia hæc qualitates quę præcedunt instanti generationis, denudant materiam, & relinquunt illam liberam & expeditam ut agens in eam introducat suam formam: qualitates vero, quę in eo instante introducuntur, solum cōsequuntur formam, & quasi fouent, ac eam retinent in materia. Si autem eadem numero dispositiones, quę fuerunt inchoatę in corrupto, manent consummatę in genito, sic facilius dici possunt determinare materiam ad talem formam: illud tamen non est, quia materia ex se illis indigeat ad suam causalitatem, sed vel ob naturalem modum & ordinem agendi medijs accidentibus, necessario ita præmittuntur, vel quia forma ipsa tales postulat dispositiones. Materia autem quamuis ex se sit indifferens ad plures effectus seu formas, non est ex se insufficiens, aut incompleta ad singulos effectus suos, sed potius in suo genere est quasi vniuersalis causa, sufficiens ad singulos effectus; causa autem sic indifferens, bene potest determinatum effectum causare, si aliunde concurrant alię causę, ad eam determinationem necessarię, ut sunt in proposito agens, vel dispositiones. Igitur per se & intrinsece ex vi causalitatis materialis, nulla sigillatio ad illam requiritur ut necessaria conditio. Præter has autem condiciones nullę alię hactenus excogitatę sunt, neq; fingi facile possunt, cum nulla appareat ratio vel fundamentum talis necessitatis. Omitto enim conditionem generalem & quasi transcendentalem respectu omnis causę creatę, scilicet quod conseruetur à Deo, nam hoc & commune est, & sub existentia comprehenditur. Omitto etiam necessariam habitudinem seu relationem ad formam: & (ut ita dicam) concausalitatem formę, nam hoc potius est quid necessario consequens, quam requisita conditio ad causandum. Nihil ergo aliud ad causalitatem materię ex parte illius necessarium est. Et hæc satis sunt de hoc puncto, nam fundamenta aliarum opinionum, quę inter illas referendas insinuata sunt, ex dictis sufficienter soluta & expedita sunt.

SECTIO IX.

Quid sit causalitas materię.

I. Causalitas materię non est ipsa materię substantia.



Atque sunt hæc de re opiniones. Dicunt enim aliqui causalitatem materię nihil aliud esse quā ipsammet materiam, quę seipsam exhibet composito & per seipsam sustentat formam, quia eius causalitas non consistit in productione alicuius rei à se distinctę, sicut causalitas efficientis, sed in hoc solum, quod seipsam præbet suo effectui. Sed hæc sententia vera esse non potest: nam licet verum sit materiam non aliter causare quam sustentando, aut componendo id quod causat: nihilominus hoc quod est sustentare, aut componere, aliquid est in re ipsa distinctum ab ipsa materia, nam potest materia esse in rerum natura, & non causare hanc formam, vel hoc compositum: & successiue variare causalitatem suam circa varios effectus, manente inuariata entitate eius: ergo causatio ipsa aliud est ab eius entitate. Imo de potentia absoluta potest conseruari materia sine vlla forma, ut infra ostendemus, & tunc nihil actum causaret, sed solum ex se esset potens ad causandum: ergo aliud est id quo constituitur actu causans ab eo quo constituitur potens ad causandum: hac enim sola ratione probamus in causa agente aliud esse actionem à potentia agentis. Quod si quis forte

dicat, materiam causare non addere aliquid ipsi materię, sed connotare existentiam formę in illa, non satisfaciat. Nam, quidquid sit de illo addito, quod postea videbimus, formam existere in materia, formaliter ac præcise loquendo, non est materiam causare, sed potius causari, vel informari: oportet autem aliquid designare à quo formaliter sumatur illa denominatione causandi, & declarare an illud sit intrinsecum, vel extrinsecum materię.

Secundo dicunt alij causalitatem actuale nihil addere materię præter relationem causę ad effectum, sed si sit sermo de propria relatione prædicamentali, non potest hæc sententia vera esse, quia hæc relatio consequitur causato iam effectui, & positis fundamentis & terminis: ergo supponit causalitatem ut rationem proximam ad quam consequitur: ergo non potest causalitas in hac ratione consistere. Quod & supra de causa in communem dictum est, & pro omnibus causis dictum intelligitur, ne id amplius repetere necesse sit. Si vero sit sermo de aliqua relatione transcendentali, coincidit hæc opinio cum quarta statim referenda.

Potest ergo tertia sententia esse asserens hanc causalitatem materię esse ipsummet effectum eius; diuerso modo significatum & conceptum: quia hoc sufficit ad explicandam hanc causalitatem, & vix potest alia inueniri, aut cogitari. Sed licet de aliquo effectui hoc fortasse verum sit, ut de generatione & vniuersali generatione statim declarabo (nam hæc ita se habent sicut actio ad causam agentem, quę etiā dici potest effectus eius) non tamen potest id esse in vniuersum verum, tum quia causalitas in omnib. causis est aliquid medium inter causam & effectum, tum etiam, quia forma materialis est effectus materię, & non potest esse causalitas eius. Nam anima equi, v.g. quę nunc causatur materialiter à sua materia, potest in re conseruari sine tali causalitate: ergo illa causalitas aliud est in re ab illa anima, & ab entitate eius. Sicut quantitas Eucharistię quę antea conseruabatur media causalitate materiali substantię panis, postea conseruatur cessante illa causalitate, quod est signum, causalitatem illam esse quid diuersum à realitate quęritatis. Quod si forma secundum suam absolutam entitatem non est causalitas materię, nec totum compositum esse potest: maxime quia in composito includitur ipsa materia, quę à seipsa non causatur: & in aliquo composito, nempe homine, includitur etiam forma, quę à materia non causatur: quo modo ergo totum compositum esse poterit causalitas materię?

Quarta opinio esse potest, causalitatem materię esse modum quandam ipsius materię realem, & ex natura rei distinctum. Nam considerata absoluta entitate materię, hic modus solum in potentia ab ea continetur: oblata autem occasione agentis inducitur forma, materia etiā actu exhibet hunc modum, quo in se recipit, & fouet formam: & consequenter componit compositum. Si autem talis forma recedat, adueniente alia forma, materia etiam admittit priorem modum, & alium exhibet circa aduenientem formam. Ita sentiunt Conimbricenses 2. Phyl. qu. 6. & 8. Fundamentum sumitur tum à sufficienti partium enumeratione, tum etiam quia talis modus necessarius est, cum ostensum sit hanc causalitatem esse aliquid, & non sit necesse, ut sit entitas distincta, cum materia per se ipsam immediatè vniatur formę: ergo oportet ut sit aliquis modus realiter quidem identificatus materię, modaliter autem & ex natura rei distinctus, cum sit separabilis ab ipsa.

Questionis resolutio.

Veruntamen hæc sententia partim falsa videtur, partim dubia. Quod ut declararem, & meam sententiam aperiam, distinguo illa quatuor, quę supra dixi causari ex materia, generationem, vniem formam,